

LIBER II.

PERSEQUITUR EXPOSITIONEM GENESEOS AB HOC VERSICULO, *Hic est liber creaturæ
coeli et terræ, etc.*, USQUE AD ILLUM QUO ADAM ET EVA DE PARADISO EJICIUNTUR.
AD EXTREMUM ECCLESIE DOGMATA CUM MANICHEORUM ERRORIBUS CONFERT.

I. Post enumerationem et expositionem dierum septem, interposita est quasi quædam conclusio, et appellatus est liber creaturæ cœli et terræ, quidquid superius dictum est, cum sit parva pars libri : sed ideo sic meruit vocari, quia universi sæculi a capite usque ad finem quasi brevis quædam imago in his diebus septem figurata est. Deinde incipit de homine diligentius narrari. Quæ omnis narratio non aperte, sed figurate explicatur, ut exerceat mentes quærentium veritatem, et spiritali negotio a negotiis carnalibus avocet. Sic enim se continet : « Hic est » liber creaturæ cœli et terræ, cum factus esset dies quo » fecit Deus cœlum et terram, et omnia viridia agri antequam essent super terram, et omne pabulum agri, » antequam germinaret. Nondum enim pluerat Deus super terram, nec erat homo qui operaretur in ea. Fons » autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem » terræ. Et tunc finxit Deus hominem de limo terræ, et » insufflavit in faciem ejus flatum vitæ, et factus est » homo in animam viventem. Et tunc plantavit Deus » paradysum in Eden ad Orientem, et posuit ibi hominem quem finxerat. Et produxit adhuc Deus de terra

» omne lignum formosum ad aspectum, et bonum ad » escam : et lignum vitæ plantavit in medio paradisi, » et lignum scientiæ boni et mali. Flumen autem prodiebat ex Eden, et irrigabat paradysum : quod inde dividitur in quatuor partes. Nomen uni Phison, hoc est » quod circuit totam terram Evilath ; ibi est aurum, aurum autem terræ illius optimum ; ibi est carbunculus » et lapis prasinus. Et nomen secundi fluminis Geon ; » hoc circuit totam terram Æthiopiæ. Et flumen tertium » Tigris ; hoc est quod vadit contra Assyrios. Et flumen » quartum dicitur Euphrates. Et sumpsit Dominus Deus » hominem quem fecerat, et posuit eum in paradiso, ut » operaretur ibi, et custodiret eum. Et præcepit Dominus Deus Adæ, dicens : Ex omni ligno quod est in paradiso edes ad escam, de ligno autem scientiæ boni et » mali non edetis ab eo : qua die enim ederitis ab illo, » morte moriemini. Et dixit Dominus Deus : Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adjutorium simile sibi. Et quæcumque finxerat Deus ex omni genere » pecorum, et ex omni genere bestiarum agri, et ex omni » genere volatilium volantium sub cœlo, perduxit ea ad » Adam ut videret quid ea vocaret : et quod vocavit ea » omnia Adam animam vivam, hoc est nomen ejus. Et » post hæc vocavit Adam nomina omnium pecorum, et omnium avium cœli, et omnium bestiarum agri : et secundum quod vocavit ea Adam, hoc est nomen eorum usque » in hodiernum diem. Ipsi autem Adæ nondum fuit adjutorium simile illi. Et immisit Deus soporem in Adam, » et obdormivit : et sumpsit Deus unam de costis ejus, » et implevit locum ejus carne, et formavit Deus costam » quam accepit ab Adam in mulierem. Et adduxit illam » ad Adam, ut videret quid eam vocaret. Et dixit Adam : » Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea,

» hæc vocabitur mulier, quoniam de viro suo sumpta
 » est: et hæc erit mihi adiutorium. Propter hoc relin-
 » quet homo patrem et matrem, et adjungetur uxori
 » suæ, et erunt duo in carne una. Et erant ambo nudi,
 » Adam et mulier ejus, et non confundebantur¹. »

« II. Serpens autem erat sapientior omnium bestiarum,
 » quæ erant super terram, quas fecerat Dominus Deus:
 » Et dixit serpens ad mulierem: Quare dixit Deus, ne
 » edatis ab omni ligno quod est in paradiso? Et dixit
 » mulier ad serpentem: Ex omni ligno quod est in para-
 » diso edemus: a fructu autem ligni, quod est in medio
 » paradisi, dixit Deus ne edamus; sed neque tangamus,
 » ne moriamur. Et dixit serpens mulieri: Non morte mo-
 » riemini; sciebat enim Deus, quia qua die manducave-
 » ritis ex illo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii
 » scientes bonum et malum. Et vidit mulier, quia bo-
 » num est lignum in escam, et quia bonum est oculis ad
 » videndum et cognoscendum: et sumpsit fructum de
 » ligno illo, et manducavit, et dedit viro suo: et accepit
 » Adam, et manducavit: et aperti sunt oculi eorum, et
 » tunc scierunt quia nudi erant, et sumpserunt sibi folia
 » ficu, et fecerunt sibi succinctoria. Et cum audissent vo-
 » cem Domini deambulantis in paradiso ad vesperam,
 » absconderunt se Adam et mulier ejus ab ante faciem
 » Domini Dei, ad illam arborem quæ erat in medio para-
 » diso. Et vocavit Dominus Deus Adam et dixit illi:
 » Adam, ubi est? Et dixit ille: Vocem tuam audivi, Do-
 » mine, in paradiso, et timui, et abscondi me, quia nu-
 » dus sum. Et dixit Dominus Deus: Quis nuntiavit tibi
 » quia nudus es, nisi quia ab illa arbore de qua dixeram
 » tibi, ex illa sola non manducares, ex illa manducasti?
 » Et dixit Adam: Mulier quam dedisti mihi, dedit ut ede-

¹ Gen. 11, 4, usque ad finem.

» rem, et manducavi. Et dixit Deus mulieri: Quid hoc
 » fecisti? Et dixit mulier: Serpens seduxit me, et man-
 » ducavi. Et dixit Dominus Deus serpenti: Quia hoc
 » fecisti, maledictus tu ab omni pecore, et omni genere
 » bestiarum. Pectore et ventre repes, et terram mandu-
 » cabis omnibus diebus vitæ tuæ: Et inimicitiam ponam
 » inter te et mulierem, et inter semen tuum, et inter se-
 » men illius. Ipsa tuum observabit caput, et tu ejus cal-
 » caneum. Et mulieri dixit: Multiplicans multiplicabo
 » dolores tuos, et suspiria tua, et in doloribus paries filios
 » tuos: et ad virum tuum conversio tua, et ille tui do-
 » minabitur. Et tunc dixit Deus ad Adam: Quia audisti
 » vocem mulieris tuæ, et manducasti de ligno de quo
 » præceperam tibi, ex illo solo ne ederes, maledicta terra
 » erit tibi in omnibus operibus tuis, et in tristitia et ge-
 » mitu tuo manducabis ex ea omnibus diebus vitæ tuæ.
 » Spinæ et tribulos germinabit tibi, et edes pabulum
 » agri tui. In sudore vultus tui edes panem tuum, donec
 » revertaris in terram, de qua sumptus es; quia terra es,
 » et in terram ibis. Et tunc Adam imposuit nomen uxori
 » suæ, Vita; quia mater est omnium vivorum. Et tunc
 » fecit Dominus Deus Adæ et mulieri ejus tunicas pelli-
 » ceas, et induit illos. Et dixit: Ecce Adam factus est
 » tanquam unus ex nobis, ad scientiam cognoscendi bo-
 » num et malum. Et tunc ne porrigeret manum suam
 » Adam ad arborem vitæ et sumeret sibi inde, et ederet
 » et viveret in æternum, dimisit eum Dominus Deus de
 » paradiso suavitatis, ut operaretur terram de qua et
 » sumptus fuerat. Et ejectus foras de paradiso, moratus
 » est contra paradisum voluptatis. Et Cherubim et illam
 » flammeam frameam quæ versatur, posuit Deus ad cus-
 » todendam viam arboris vitæ¹. »

¹ Gen. 11, 1 usque ad finem.

III. Hæc secreta verborum si non reprehendentes et accusantes, sed quærentes et reverentes Manichæi malent discutere, non essent utique Manichæi; sed daretur petentibus, et quærentes invenirent, et pulsantibus aperiretur. Plures enim quæstiones in hoc sermone proponunt, qui diligentia pia quærunt, quam isti miseri atque impii: sed hoc interest, quod illi quærunt ut inveniant, isti nihil laborant, nisi non invenire quod quærunt. Hic ergo totus sermo primo secundum historiam discutiendus est, deinde secundum prophetiam. Secundum historiam facta narrantur, secundum prophetiam futura prænuntiantur. Sane quisquis voluerit omnia, quæ dicta sunt, secundum litteram accipere, id est, non aliter intelligere quam littera sonat, et potuerit evitare blasphemias, et omnia congruentia fidei catholicæ prædicare, non solum ei non est invidendum, sed præcipuus multumque laudabilis intellectus habendus est. Si autem nullus exitus datur, ut pie et digne Deo quæ scripta sunt intelligantur, nisi figurate atque in ænigmatis proposita ista credamus, habentes auctoritatem apostolicam, a quibus tam multa de libris Veteri Testamenti solvuntur ænigmata, modum quem intendimus teneamus, adjuvante illo qui nos petere, quærere et pulsare adhortatur¹; ut omnes istas figuras rerum secundum catholicam fidem, sive quæ ad historiam, sive quæ ad prophetiam pertinent explicemus, non præjudicantes meliori diligentiorique tractatui, sive per nos, sive per alios quibus Dominus revelare dignatur.

IV. « Factus est ergo dies quo die fecit Deus cœlum et » terram, et omne viride agri, antequam essent super » terram, et omne pabulum agri². » Superius septem dies numerantur, nunc unus dicitur dies, quo die fecit Deus

¹ Matth. vii, 7. — ² Gen. ii, 5.

cœlum et terram, et omne viride agri, et omne pabulum, cujus diei nomine omne tempus significari bene intelligitur. Fecit enim Deus omne tempus simul cum omnibus creaturis temporalibus, quæ creaturæ visibiles cœli et terræ nomine significantur. Movere autem nos debet ad quærendum, quod cum diem, qui factus est, et cœlum, et terram nominasset, adjecit etiam viride agri, et omne pabulum. Non enim quando dictum est: « In principio » fecit Deus cœlum et terram, » tunc dictum est, factum esse omne viride agri et pabulum: manifeste enim legitur, quod tertio die factum est omne viride et pabulum agri. Quod autem dictum est: « In principio fecit » Deus cœlum et terram, » non pertinet ad aliquem diem ex illis septem diebus. Adhuc enim vel materiam ipsam unde facta sunt omnia, cœli et terræ nomine nuncupabat. Vel certe prius totam creaturam, cœli et terræ nomine proposuerat dicendo: « In principio fecit Deus » cœlum et terram; » et postea particulatim per ordinem dierum sicut oportebat, propter prophetiam, quam in primo libro commemoravimus, Dei opera executus exposuit. Quid sibi ergo vult quod nunc nominato cœlo et terra, addidit viride agri et pabulum, et tacuit cætera tam multa, quæ sunt in cœlo et in terra, vel etiam in mari, nisi quia viride agri invisibilem creaturam vult intelligi, sicut est anima? Ager enim solet in Scripturis figurate mundus appellari. Nam et ipse Dominus: Ager est hic, inquit, mundus, cum illam parabolam exponeret, ubi bono semini sunt commixta zizania¹. Viride ergo agri spiritalem atque invisibilem creaturam dicit, propter vigorem vitæ, et nomine pabuli utique propter vitam bene hoc ipsum interpretamur.

¹ Matth. xii, 38. Vide *Retract.* cap. x, n. 3.

V. Deinde quod addidit, « Antequam essent super terram, » intelligitur, antequam anima peccaret. Terrenis enim cupiditatibus sordidata, tanquam super terram nata, vel super terram esse, recte dicitur: ideoque addidit: « Nondum enim pluerat Deus supra terram¹. » Quia et nunc viride agri Deus facit, sed pluendo super terram, id est, facit animas revirescere per verbum suum, sed de nubibus eas irrigat, id est, de scripturis Prophetarum et Apostolorum. Recte autem appellantur nubes, quia verba ista quæ sonant et percusso aëre transeunt, addita etiam obscuritate allego-riarum quasi aliqua caligine obducta, velut nubes fiunt. Quæ dum tractando exprimuntur, bene intelligentibus tanquam imber veritatis infunditur. Sed hoc nondum erat antequam anima peccaret, id est, antequam viride agri esset super terram. « Nondum enim » pluerat Deus supra terram, nec erat homo qui operatur in ea. » Laboranti enim homini in terra imber de nubibus est necessarius, de quibus nubibus jam dictum est. Post peccatum autem homo laborare cœpit in terra, et necessarias habere illas nubes. Ante peccatum vero cum viride agri et pabulum fecisset Deus, quo nomine invisibilem creaturam significari diximus, irrigabat eam fonte interiore, loquens in intellectum ejus: ut non extrinsecus verba excipere tanquam ex supradictis nubibus pluviam, sed fonte suo, hoc est, de intimis suis manante veritate satiaretur.

VI. « Fons enim ascendebat, inquit, de terra, et irrigabat omnem faciem terræ². » De terra scilicet de qua dicitur: « Spes mea es tu, portio mea in terra viventium³. » Quando autem anima tali fonte irrigabatur, nondum per superbiam projecerat intima sua. « Initium » enim superbiæ hominis, apostatare a Deo⁴. » Et quoniam

¹ Gen. II, 5. — ² Ibid. 6. — ³ Psal. cxlv, 6. — ⁴ Eccli. x, 41.

in exteriora per superbiam tumescens cœpit non irrigari fonte intimo¹, bene insultatur illi verbis propheticis et dicitur: « Quid superbit terra et cinis²? » Quoniam in vita sua projecit intima sua. Quid est enim superbia aliud, nisi deserto secretario conscientiae foris videri velle quod non est? Et ideo laborans jam in terra necessariam habet pluviam de nubibus, id est, doctrinam de humanis verbis, ut etiam hoc modo possit ab illa ariditate revirescere, et iterum fieri viride agri. Sed utinam vel pluviam veritatis de ipsis nubibus libenter excipiat. Nam propter illam Dominus noster nubilum carnis nostræ dignatus assumere, imbrem sancti Evangelii largissimum infudit, promittens etiam quod si quis biberit de aqua ejus, rediet ad illum intimum fontem, ut forinsecus non quærat pluviam. Dicit enim: « Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam³. » Iste credo fons ante peccatum ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ, quia interior erat, et nubium non desiderabat auxilium: « Nondum enim » pluerat Deus super terram, nec erat homo qui operatur in ea. » Cum enim dixisset: « Nondum enim pluerat » Deus super terram⁴; » subjecit et causam quare nondum pluerat: « Quia non erat homo qui operaretur in ea. » Tunc autem homo cœpit operari in terra, cum post peccatum de beata vita dimissus est, qua in paradiso fruebatur⁵. Sic enim scriptum est: « Et dimisit eum Dominus » Deus de paradiso suavitatis, ut operaretur terram de » qua et sumptus fuerat: » Unde suo loco requiremus. Quod nunc ad hoc commemoravi, ut intelligeremus laboranti homini in terra, id est, in peccatorum ariditate constituto, necessariam esse de humanis verbis divinam doctrinam, tanquam de nubibus pluviam. Talis autem

¹ Retract. cap. x, n. 3. — ² Eccli. x, 9. — ³ Joan. iv, 14. — ⁴ Gen. II, 5. — ⁵ Ibid. 21.

scientia destruetur. Videmus enim nunc in ænigmate tanquam in nubilo saginam quærentes¹: tunc autem facie ad faciem, quando universa facies terræ nostræ interiore fonte aquæ salientis irrigabitur. Nam si fontem aliquem hujus visibilis aquæ voluerimus intelligere, de quo dictum est: « Fons autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ², » non est verisimile, quod cum tam multi fontes perennes, sive rivorum, sive fluviorum per universam terram inveniuntur, solus ille siccaverit, qui irrigabat omnem faciem terræ.

VII. Sub his ergo paucis verbis universa creatura nobis insinuata est ante peccatum animæ. Nomine enim cœli et terræ universa visibilis creatura significata est; et nomine diei, universum tempus; et nomine viridum et pabuli agri, creatura invisibilis; et nomine fontis ascendentis et irrigantis omnem faciem terræ, inundatio veritatis animam satians ante peccatum. Dies autem iste, cujus nomine universum tempus significari diximus, insinuat nobis non solum visibilem, sed etiam invisibilem creaturam tempus posse sentire: quod de anima nobis manifestatur, quæ tanta varietate affectionum suarum, et ipso lapsu quo misera facta est, et reparatione qua rursus in beatitudinem redit, tempore mutari posse convincitur. Et ideo non dictum est: « Cum factus esset dies, quo die fecit » Deus cœlum et terram, » tantum, quibus nominibus visibilis creatura intimatur; sed additum est etiam: « Viride, et pabulum agri: » Quo nomine invisibilem creaturam, propter vigorem et vitam, significari diximus, sicuti est anima. Et ita dictum est: « Cum factus esset dies, » quo die fecit Deus cœlum et terram, et omne viride, » et pabulum agri³, ut sic intelligeremus non solum visibilem, sed etiam invisibilem creaturam pertinere ad tem-

¹ 1 Cor. XIII, 12 — ² Gen. II, 6. — ³ 1 Retract. cap. x, n. 3.

pus, propter mutabilitatem; quia solus Deus incommutabilis est, qui est ante tempora.

VIII. Nunc videamus post universæ creaturæ insinuationem tam visibilis quam invisibilis, et universale beneficium divini fontis erga invisibilem creaturam, quid de homine specialiter intimetur, quod ad nos maxime pertinet. Primo enim quod de limo terræ Deus hominem finxit, solet habere quæstionem qualis ille limus fuerit, vel quæ materia nomine limi significata sit. Illi autem inimici veterum librorum, omnia carnaliter intuentes, et propterea semper errantes, etiam hoc reprehendere mordaciter solent, quod de limo Deus hominem finxit. Dicunt enim: Quare de limo fecit Deus hominem? An defuerat ei melior et cœlestis materia, unde hominem faceret, ut de labe terrena tam fragilem mortalemque formaret. Non intelligentes primo quam multis significationibus vel terra vel aqua in Scripturis ponatur: limus enim aquæ et terræ commixtio est. Dicimus enim tabidum et fragile et morti destinatum corpus humanum post peccatum esse cœpisse. Non enim in nostro corpore isti exhorrescunt nisi mortalitatem, quam damnatione meruimus. Quid autem mirum, aut difficile Deo, etiamsi de limo istius terræ hominem fecit, tale tamen corpus ejus efficere, quod corruptioni non subjaceret, si homo præceptum Dei custodiens peccare nolisset? Si enim speciem cœli ipsius de nihilo, vel de informi materia dicimus factam, quia omnipotentem artificem credimus; quid mirum si corpus, quod de limo qualicumque factum est, potuit ab omnipotenti artifice tale fieri, ut nulla molestia, nulla indigentia cruciaret hominem ante peccatum, et nulla corruptione tabesceret?

IX. Itaque superflue quæritur, unde hominis corpus Deus fecerit; si tamen nunc de corporis formatione dici-

tur. Sic enim nonnullos nostros intelligere accepi, qui dicunt, posteaquam dictum est¹: « Finxit Deus hominem » de limo terræ: » propterea non additum, ad imaginem et similitudinem suam, quoniam nunc de corporis formatione dicitur. Tunc autem homo interior significabatur, quando dictum est: « Fecit Deus hominem ad imaginem » et similitudinem Dei. » Sed etiamsi nunc quoque hominem ex corpore et anima factum intelligamus, ut non alicujus novi operis inchoatio, sed superius breviter insinuati diligentior retractatio isto sermone explicetur; si ergo, ut dixi, hominem hoc loco ex corpore et anima factum intelligamus, non absurde ipsa commixtione limi nomen accepit. Sicut enim aqua terram colligit, et conglutinat, et continet, quando ejus commixtione limus ejus efficitur: sic anima corporis materiam vivificando in unitatem concordem conformat, et non permittit labi et resolvi.

X. Quod autem scriptum est: « Et insufflavit in eum » spiritum vitæ, et factus est homo in animam viventem²: » si adhuc corpus solum erat, animam adjunctam corpori hoc loco intelligere debemus; sive quæ jam facta erat, sed tanquam in ore Dei erat, id est, in ejus veritate vel sapientia, unde tamen non recessit quasi locis separata, quando insufflata est; non enim Deus loco continetur, sed ubique præsens est: sive tunc anima facta est, quando in illud figmentum Deus insufflavit spiritum vitæ, ut illa insufflatio ipsam operationem Dei significet, qua fecit animam in homine Spiritu potentiæ suæ. Si autem homo ille qui factus erat, jam corpus et anima erat, ipsi animæ sensus est additus ista insufflatione, cum factus est homo in animam viventem: non quia illa insufflatio conversa est in animam viventem, sed operata est in animam viven-

¹ Vide Tertullian. lib. de Resurrectione carnis, cap. 5. et Hilarium in Psal. cxviii. — ² Gen. ii, 7.

tem. Nondum tamen spiritalem hominem debemus intelligere, qui factus est in animam viventem, sed adhuc animale. Tunc enim spiritalis effectus est, cum in paradiso, hoc est, in beata vita constitutus, præceptum etiam perfectionis accepit, ut verbo Dei consummaretur. Itaque postquam peccavit, recedens a præcepto Dei, et dimissus est de paradiso, in hoc remansit ut animalis esset. Et ideo animale hominem prius agimus omnes, qui de illo post peccatum nati sumus, donec assequamur spiritalem Adam, id est, Dominum nostrum Jesum Christum, qui peccatum non fecit; et ab illo recreati et vivificati¹, restituamur in paradysum, ubi latro ille cum ipso eo die meruit esse, quo vitam istam finivit. Sic enim Apostolus dicit: « Sed non » prius quod spiritale est, sed quod animale, sicut scriptum est: Factus est primus Adam in animam viventem, » novissimus Adam in Spiritum vivificantem². »

XI. Sic ergo debemus intelligere hunc locum, ut non quia dictum est: « Insufflavit in eum spiritum vitæ, et factus est homo in animam viventem, » credamus illam veluti partem naturæ Dei in animam hominis fuisse conversam, et cogamur dicere naturam Dei esse mutabilem: in quo errore maxime istos Manichæos veritas premit. Sicut enim est mater omnium hæreticorum superbia, ausi sunt dicere quod natura Dei sit anima. Et hinc urgentur a nobis, cum eis dicimus: « Ergo natura Dei errat et misera est, et vitiorum labe corrumpitur et peccat; aut etiam, ut vos dicitis, naturæ contrariæ sordibus inquinatur: et cætera talia quæ de natura Dei nefas est credere. Nam factam esse animam ab omnipotente Deo, et ideo non illam esse partem Dei vel naturam Dei, manifeste alio loco scriptum est, dicente Propheta: « Et qui finxit spiritum omnibus, ipse fecit omnia³. » Et alio loco: Qui

¹ 1 Retract. cap ix, n. 3. — ² 1 Cor. xv, 46. — ³ Psal. xxxii, 15.

finxit spiritum hominis in ipso. Ergo factum esse spiritum hominis, manifeste his testimoniis approbatur. Spiritus autem hominis in Scripturis dicitur ipsius animæ potentia rationalis, qua distat a pecoribus, et eis naturæ lege dominatur¹. De quo dicit Apostolus: « Nemo scit quæ sunt » hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est². » Ne forte si probaretur his testimoniis animam factam esse, non deessent qui dicerent, spiritum hominis non esse factum, et ipsum arbitrarentur esse naturam Dei, et in ipsum dicerent partem Dei esse conversam, cum illa insufflatio Dei facta est. Quod sana doctrina similiter respuit; quia et ipse spiritus hominis cum aliquando errat, et aliquando prudenter sapit, mutabilem se esse clamat: quod nullo modo de natura Dei fas est credere. Non autem potest majus signum esse superbiæ, quam ut dicat se humana anima hoc esse quod Deus est, cum adhuc sub tantis vitiis et miseriarum molibus gemat.

XII. Nunc jam videamus ipsam beatitudinem hominis, quæ paradisi nomine significatur: nam quoniam in nemoribus deliciosa quies hominum esse solet, et corporeis sensibus nostris de Oriente lumen oritur, cælumque consurgit, quod superius corpus est nostro corpore atque excellentius; propterea his verbis etiam spirituales deliciae, quas habet beata vita, figurate explicantur, et ad Orientem paradisi plantatur. Intelligamus autem nostra gaudia spiritalia significare omne lignum formosum ad aspectum intelligentiæ, et bonum ad escam quæ non corrumpitur, qua beatæ animæ pascuntur. Nam et Dominus dicit: « Ope- » ramini escam quæ non corrumpitur³; » ut est omnis ratio, quæ cibus est animæ. Ad Orientem lucem sapientiæ in Eden, id est, in deliciis immortalibus et intelligibilibus. Nam diliciæ, vel voluptas, vel epulum hoc verbo

¹ Zach. xii, 1. — ² 1 Cor. ii, xi. — ³ Joan. vi, 27.

significari, dicitur, si ex hebræo in latinum interpretetur. Positum est autem sic sine interpretatione, ut aliquem locum significare videatur, magisque figuratam faciat locutionem. Productum autem ex terra omne illud lignum accipimus omne illud gaudium spiritale, id est, supereminere terræ, et non involvi atque obrui terrenarum cupiditatum implicamentis. Lignum autem vitæ plantatum in medio paradisi, sapientiam illam significat, qua oportet ut intelligat anima, in meditullio quodam rerum se esse ordinatam, ut quamvis subjectam sibi habeat omnem naturam corpoream, supra se tamen esse intelligat naturam Dei, et neque in dexteram declinet, sibi arrogando quod non est; neque ad sinistram, per negligentiam contemnendo quod est: et hoc est lignum vitæ plantatum in medio paradisi. Ligno autem scientiæ boni et mali, ipsa item medietas animæ et ordinata integritas significatur: nam et ipsum lignum in medio paradisi plantatum est: et ideo lignum dignoscentiæ boni et mali dicitur, quia si anima quæ debet in ea quæ anteriora sunt se extendere, id est, in Deum, et ea quæ posteriora sunt oblivisci, id est, corporeas voluptates, ad se ipsam deserto Deo conversa fuerit, et sua potentia tanquam sine Deo frui voluerit, intumescit superbia, quod est initium omnis peccati. Et cum hoc ejus peccatum pœna fuerit consecuta, experiendo discit quid intersit inter bonum quod deseruit, et malum in quod cecidit. Et hoc ei erit gustasse de fructu arboris dignoscentiæ boni et mali. Præcipitur ergo illi ut de omni ligno quod est in paradiso edat, ex ligno autem in quo est dignoscentia boni et mali non edat, id est, non sic eo fruatur, ut ipsam ordinatam integritatem naturæ suæ, quasi manducando violet atque corrumpat.

XIII. Flumen autem quod procedebat ex Eden, id est, ex deliciis et voluptate et epulis, quod flumen a Propheta